

Zacharias Grape Friedrich Nicolaus Ideler

## **Dissertatio Philosophica De Principiis Primis**

Rostochii: Kilius, 1673

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730584895>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1673

Zacharius Graepius

Kiedr. M<sup>no</sup>. Ideler





Quod felix faustumq; esse jubeat

D. T. O. M.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

De

# PRINCIPIIS PRIMIS,

Quam

Consensu Amplissimæ Facultatis Philo-  
sophicæ in illustri ad Varnum Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Amplissimi, atque  
Excellentissimi*

**DN. ZACHARIÆ GRAPPI,**

S.S. Theol. Lic., Phys. ac Metaph. Pro-  
fess. Publ., Ædisque Catharinianæ Pastoris  
dignissimi,

DN. Præceptoris & Patroni sui æternum  
devererandi,

*Publico placidoque Doctorum examini submittit*

**FRIDERICUS NICOLAUS *Gdeler***

Colon. Marchicus

AUCTOR & RESPONDENS

Addiẽm XX. Septembr. ANNI clõ Isc LXXIII.

*In Acroaterio Magno Academico.*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Univerſitatis Typogr.

PRINTS

THE PRINCIPLES OF

DR. FACHNAME GRADE

32 THEOLOGY

DR. FACHNAME GRADE

THEOLOGY

Cum Deo omnium rerum principio.

*De*  
**PRIMIS PRINCIPIIS.**

Sect. I.

*De*  
**COMPLEXIS.**

*Prodidagma.*



**I**ndagaturus alicujus rei cognitionem, scitè inquit Zabar. de Constitutione scient. natural. cap. 6. ante omnia ejus principia nosse debet, ex horum siquidem notitia cognitio aliorum dependet, imprimis hoc de generali rerum cognitione valebit, quarum principia si non bene erunt perspecta & cognita, & illarum cognitio omnis vana mutila & frustranea erit: Ideò de primis rerum principiis, illarum eùm constitutionem, tum cognitionem attinentibus, in Illustri hoc Roseto aliquid pro ingenii tenuitate afferre placuit. Quod ut felix & faustum sit, Deum, à quo capessenda sunt rerum omnium primordia simplex oro.

Subsectio I. dogmatica.

Articul. I.

*De*  
**PRINCIPII COMPLEXI  
DEFINITIONE.**

S. I.

Ante autem quam ad ipsam principii complexi definitionem

A

tionem accedamus ejus æquivocationem evolvere paucis lubet. Sumitur autem principium complexum 1. *vel notionaliter* s. *logice* pro eo, quod dat cognitionem notionalam, s. ex quo aliquid notionaliter cognoscitur, sic præmissæ in syllogismo sunt principium complexum notionale, ex quibus tanquam notis, conclusio tanquam ignota elicitur s. deducitur; *vel realiter* pro eo, quod dat cognitionem realem, s. ex quo aliquid realiter cognoscitur. 2. *vel strictè* quatenus æquipollet principio cognoscendi; *vel latè* quatenus contradistinguitur principio cognoscendi, ut speciale generali. Solent enim nonnulli principium cognoscendi generalius acceptare, quatenus abstrahit à principio cognoscendi complexo & incomplexo. *Vid. inter alios Andr. Fromm. lib. 2. Cap. 15. Sect. 1. dogm. præcept. 8. 9. 10. 11. Exercit. Metaphys.* Itaque principium complexum ad principium cognoscendi se haberet, ut strictius & latius s. ut specialius ad suum generale 3. *vel materialiter* quatenus etiam includit principium essendi, quod ex accidenti quandoque fit principium cognoscendi; *vel formaliter* quatenus in se spectatur, & alteri dat cognitionem. 4. *vel potentialiter* pro aptitudine ad esse principium cognoscendi quod dare potest cognitionem alteri; *vel actualiter* pro ipso actuali principio cognoscendi, quod & actualem rei suppeditat cognitionem. 5. *Abstractivè* quatenus absque respectu ad ipsum Ens consideratur, eidemq; ut conceptus inadæquatus contradistinguitur; *vel concretivè*, quatenus ipsum Ens involvit, & realiter idem est cum Ente. 6. *vel abstractè* quatenus abstrahit à principiis complexis primis s. generalioribus & ortis s. specialioribus; *vel contractè* quatenus modò pro principiis primis, modò pro principiis cognoscendi ortis accipitur. 7. *vel inadæquatè* quatenus est specialis modus alterius membri disjunctæ Entis affectionis & sic directè spectat ad Metaphys.; *vel inadæquatè* quatenus à nonnullis venditur ut objectum disciplinæ, constituens peculiarem disciplinam, dictam vel Noologiam, vel habitum intelligentiæ, *Vid. Calov. in Noolog.* Nos hic principium complexum accipimus *realiter strictè, formaliter, potentialiter, abstractivè, abstractè & adæquatè.*

§. 2. Principium complexum est principium quod dat s. dare potest cognitionem alteri. *Genus proximum & adæquatum* in hac definitione s. descriptione est principium genericè acceptum quate

quatenus abstrahit à complexo & incomplexo principio. Principium autem ut sic f. abstractè tale proximè dividitur in principium cognoscendi & essendi f. complexum & incomplexum. Deinde quoque definitio principii ut sic, & abstractè talis etiam verè competit principio complexo. Solet enim illud sic definiri, quod sit à quo aliquid procedit quocunque modo. Jàm verò principium complexum f. cognoscendi etiam est, à quo rerum cognitio procedit. Est itaque principium ut sic & in genere tale Genus proximum & adæquatum principii complexi; quod & sequenti evincimus Argumento: Quod est essenziale latius & proximum definito, illud est ejus genus proximum & adæquatum. Atqui principium ut sic est essentiale latius & proximum principio complexo. Eg. Major innitur regula Logica. Minor constat ex prædictis. Porro *differentia specifica* in allata definitione est potentia dandi cognitionem alteri. Nam cum principium omne sit alterum membrum disjunctæ Entis affectionis, etiam potentialiter erit describendum. Siquidem omnis affectio juxta tritum Philosophicum de suo subjecto verificatur non in actu secundo sed in actu primo. Deinde quoque principium cognoscendi f. complexum, est illud, quod dat, seu dare valet cognoscere f. cognitionem alteri. Observandum verò, quod vocabulum cognitionis hîc generaliter sumamus, quatenus abstrahit à cognitione generali & speciali, cum principium complexum indifferenter sese habeat ad principium primum & ortum; quorum illud generalissimum, hoc speciale principium complexum est. Illud verò dat f. dare potest cognitionem alteri, quod est notius altero, vel quoad rem, vel quoad nos; quia ex notioribus semper probamus, f. probare tenemur ignotum. Jàm verò omne principium cognoscendi notius esse debet suo principiato, cum etiam omne principium prius esse debeat suo principiato, & principiatum innotescat ex suo principio.

## Articulus II.

De

# PRINCIPII COMPLEXI DIVISIONE.

§. 1. Dispersantur autem principia complexa in communia f.

A 2



nia s. prima, & propria s. orta. Illa dicuntur, quæ multis scientiis accommodari possunt, ut ab æqualibus æqualia si demas quæ remanent, sunt æqualia. In horum usu circumspeditione quædam utendum esse monet Arist. ut scilicet legitime applicentur ad scientiam; propriam Arithmeticus v. g. axioma positum applicet ad numeros; Geometra ad magnitudines. Et quamvis hæc principia ad proprium subjectum restringantur, communia tamen dicuntur, idque ideo, quia aliis quoque subjectis applicari possunt.

§. 2. Propria principia sunt, quæ unicuique scientiæ peculiaris sunt. Hæc vel ex definitione subjecti vel ex aliqua ejus passione constare debent, prout enim subjectum & passiones sunt, ita scientiæ alicujus propriæ, non aliis, sub ea ratione scilicet competunt; Hinc principia ex alterutro eorum constantia certæ scientiæ propria sunt, quæ aliis scientiis sub ea considerandi ratione applicari nullo modo possunt.

§. 3. Principia complexa præcipuè vel sunt simpliciter indemonstrabilia, vel indemonstrabilia secundum quid. Indemonstrabilia simpliciter, quæ quamvis externo sermone negari possint, qualia sunt dignitates s. axiomata, sententiæ juxta *Scalig. 4. De re poet. Cap. 16.* tamen omnium consensu digna sunt, ut suapte naturâ sine ulla probatione verâ credantur. Quibus si aliquando non assentimur, fit, vel quia non penetramus terminos, vel quia plane non advertimus, ut ait *Thom. part. 1. quest. 72. art. 2.* Principia indemonstrabilia secundum quid sunt, quæ demonstrari quidem possunt, non autem in ea scientia in quâ sunt principia, sed in superiori quadam; qualia sunt suppositiones, propositiones in scientiis præsuppositæ, quæ vel statim ut sunt à Doctore prolata, à discipulo creduntur, & tunc propriè suppositiones vocantur; vel illis discipulus non statim assentitur, vel dubius atque anceps est, vel ad contrariam etiam opinionem inclinât & tunc postulata s. petitiones vocantur.

§. 4. In universum ergo cognitionis principia sunt tria. Suppositiones, definitiones, & dignitates; ita tamen distinctæ, ut dignitates s. axiomata communia sint multis scientiis, non verò suppositiones & definitiones. Hinc dignitatum consideratio metaphysicæ propria est; communis siquidem & universalis scientiæ,

COMA

communium quoque rerum explicationem sibi vendicat. Harum  
 autem dignitatum omnium prima est: Impossibile est idem  
 simul esse & non esse. Cujus conditionis Arist. ponit tres 1. quod non contingat circa illud deceptio. 2. quod ejus veritas  
 non sit conditionata sed absoluta 3. quod non cognoscatur per de-  
 monstrationem. Hæ conditiones quia præter hoc principium,  
 nulli competunt, relinquuntur, hoc omnium esse primum. Conimb.  
 autem dispescunt illud in affirmativum & negativum. Affirmati-  
 vum est, de quolibet idem affirmare vel negare verum esse. Negati-  
 vum de nullo verum esse idem simul affirmare & negare s. ut vul-  
 gò dicunt, Impossibile est duo contradictoria simul esse posse vera.  
 Hæ autem dignitates omnium primæ *veritatis* in omnibus sunt  
 scientiis, ultra quæ disputatio nulla instituenda est. Veram au-  
 tem harum dignitatum applicationem docet *Arist. 1. Priorum cap.*  
*3.* Negativæ tunc maximus usus est, cum de subiecto conclusionis  
 aliquod prædicatum affirmatur, & oppositum removetur, tunc  
 enim adhibetur majori extremo hac ratione: Omnis homo est  
 animal, & non est non animal. Affirmativæ verò, cum ad impos-  
 sibile deducimus, idque triplici via. 1. enim infertur conclusio im-  
 possibilis 2. alteram assumptionem concluditur esse impossibilem.  
 3. Contradictoriam ab adversario negatam, esse veram; ut, si quis  
 neget, omnem hominem esse intellectivum 1. infertur conclusio  
 impossibilis hoc modo, Nullus homo est intellectivus, Omne ani-  
 mal rationale est homo Eg. Nullum animal rationale est intellecti-  
 vum. Quæ conclusio, cum primo principio repugnet, absolute  
 est impossibilis 2 oportet Eg. unam ex præmissis esse impossibilem.  
 Non autem minor, quæ forsitan ab adversaria parte fuit asserta.  
 Eg. Major 3. Eg. Contradictoria ejus erit vera, Quendam scil. ho-  
 minem esse intellectivum. De his principiis communiter no-  
 tandum ex Zab. quod demonstrationem ipsam non ingrediantur,  
 sed extrinsecus tantum ei inserviant, ideoque sola nullius rei scien-  
 tiam, in particularibus præsertim, pariant.

### Subsectio II, Usualis.

§. 1. Hujus principii complexi in reliquis disciplinis satis  
 ampius datur usus. Et Primò quidem in Theologia duplex usus  
 conspicitur 1. in articulo Trinitatis, quando queritur, An Pater

fit principium Filii? Ex cujus affirmatione Acriani putant  
ultrò colligi Patrem Filiopriorem & perfectiorem esse, atque ità  
Filium non esse verum Deum. Verùm enim verò res datur expe-  
dita à Metaphysicis distinctione, inter principium naturà prius &  
prius origine. Pater origine s. ordine Filio est prior, non autem  
naturà. In scriptura enim enumerationis ordo certò præscribi-  
tur, quæ verò ordinis illius sit ratio, quia sacris literis non est pate-  
factum, nec etiam ratione nostra altius s. scrupulosius inquiren-  
dum erit. II. In *mysteriis fidei in genere*, quibus, ignorato vero usu  
generalium principiorum contradictio solet affingi; ideò Meta-  
physica ad suas tantùm humanas disciplinas, quibus dominatur,  
hoc axioma præscribit, non sollicita de illis, quæ supra se sunt po-  
sita. Quando Eg. in Trinitatis mysterio unitas essentia divina  
prædicatur, & in illa unitate Personarum Trinitas; ex unitatis &  
Trinitatis oppositione Metaphysicus non concludit impossibilia,  
quæ simul vera esse nequeant, sed ignorantiam suam fatetur, ex-  
istimans, in naturalibus quidem hoc esse nullo modo posse; ea-  
verò quæ sunt supra naturam naturæ legibus iudicanda non censet,  
ut alicubi loquitur Scal. Ità quando audit carnem Christi esse fini-  
tam, & tamen eandem carnem multis in locis in Cœnæ Dominicæ  
celebratione esse præsentem, iudicium suum immaturum de my-  
sterio hoc suspendit, existimans totam facti hujus rationem esse  
veritatem & omnipotentiam dicentis. Ità & in multis locis aliis.  
Sobriè Eg. omninò Generale hoc principium ad fidei mysteria  
applicari debet, non ut illa evertat, sed ut locum concedat, & si  
quà potest confirmet.

§. 2. In Physica & reliq. discipl. particularibz usus hujus doctrinæ  
itidem non cernitur exiguus. Hinc enim I. vera principiorum ra-  
tio in iis fit conspicua, quæ non absoluta est, sed dependens à su-  
perioris scientiæ principiis universalibus II. Confirmatio earum  
vera, quando instituenda est, III. Vis probationis ex communibus  
principiis, qualis sit in scientiis reliquis, hinc simul innotescit. Ni-  
hil enim habet necessitatis, nisi communia illa principia applicatio-  
ne fiant propria, ut ità non communibus, sed in propria commu-  
nitate principii, omnis vera probatio perficiatur.

Subse-

### Subsectio III. Problematica.

#### Probl. I.

#### An Principium & causa sint unum & idem.

Affirmativa videtur esse Aristotelis, qui i. *Phys. Cap. 1. & 4. Metaphys. 2.* æquipollenter his terminis utitur. Quod etiam definitio videtur arguere; Principii enim definitio sine absurditate causæ quoque accommodatur, quod scilicet sit principium unde res est, fit, aut cognoscitur. Si Eg. definitione conveniunt, quâ ratione reipsa unum & idem non erunt? Cum definitio sit λόγος & ὁσίως? Saniores verò Philosophi contrasentiunt, distincta esse hæc duo. Rationes hæc sunt i. *quia differunt prioritaris abstractione*: Principium esse prius sc. naturâ principiato, non in omni naturâ est necesse, ut antè de Deo demonstratum est. Causâ verò omnis naturâ effectû suo prior est. II. *Efficientia abstractione*; Principii ratio potest esse, licet non effectivè aliquid agat, sicut terminus à quo principium est motus; & manè principium diei, quorum neutrum ad effectû productionem agit; Causa verò semper realem influxum ad esse causati includit. III. *Distinctionis realis abstractione*. Principium sola relatione aliquando à principiato distinctum esse potest, non itidem verò causâ quæ ab effectû essentialiter semper est distincta; unde satis constat, non posse unum & idem esse principium & causam. Quod Aristotelem verò spectat, sumpsit ille, locis citatis, principii vocabulum strictè, quatenus cum causæ vocabulo coincidit, nempe pro principio causali. Definitio verò principii superius assignata, nequaquam reciproçè causis competit, ut ex datis distinctionibus liquidò constat.

#### Probl. II.

#### An principia prima possint demonstrari.

Quodnam principium primum, quodque ejus sint conditiones sect. 2. explicatum est, de eo inter reliqua hic quæritur. An principia prima demonstratione possint cognosci? Affirmantem partem evincere videtur I. *Effectus principii primi*, propter quod unum

num quodque tale est, illud magis est tale. Atqui per principium primum ejusque veritatem omnis perficitur demonstratio. Eg. illud demonstratione cognitum sit necesse est. II. probatur ex ratione hujus principii. Inductio est species argumentationis; primum principium cognoscitur inductione, ut habet *Arist. 1. prior. 23.* & hinc quoque probatur, quia nemo propria praesertim inventione audacter assentitur propositioni universali, cujus veritatem, in singularibus sensus examine non expendit, assentibus *Coximb. Cap. 1. Post. Eg.* argumentatione cognoscitur principium primum, & ita omnino non erit indemonstrabile. Verum enim verò negativa hic videtur tutior, eaque probatur I. *ab absurdo.* Quicquid demonstratur habet aliquid se prius, & ita non erit primum, & progressus dabitur in infinitum, quod in nullo genere causae possibile prob. ab *Arist. 2. Metaphys. 2. II. A requisito demonstrationis necessario.* Omnis demonstratio fit ex causa per se, quae sit ratio assentiendi conclusioni. At talis causa non datur in cognitione principiorum primorum, Eg. demonstratione non cognoscuntur. Minor inde est manifesta, quia principia cognoscuntur inductione, quae talis causa non est, quia 1. est contingens & plerumque fallax, 2. attingit tantum conjunctionem praedicali cum subjecto, non autem necessitatem, vel contingentiam conjunctionis, 3. ad formidinem intellectus tantum facit. III. *A pari*, ut se habet finis in Praxi, ita principium se habet in Theoria; Atque finis, ob quem omnia appetuntur, ipse alterius gratia non appetitur. Eg. etiam principium, quò reliqua demonstrantur, demonstrationis capax esse non potest. Pro quaestione veritate disting. inter causam rei, & conditionem aliqualem. Inductione cognoscitur primum principium, non tanquam causa, quae demonstratur, sed ut conditione seu causa sine Qua-non. Causa cognitionis primi principii praecipue est lumen intellectus cum perspicua terminorum penetratione; hoc enim lumine cernimus praedicata, subjectis esse immediata, & ita non possumus non assentiri; ipsa verò inductio est tantum manuductio & conditio non afferens rationem assentiendi; sed disponens & juvans intellectum, ut majori promptitudine & absque omni formidine assensum praebet s. ut *Fonseca* loquitur, *4. Metaphys. i. quest. 4. 5.* quia nemo absque erroris periculo assentitur principiis, nisi illa expertus sit, in aliquibus singularibus

laribus, nullamque reperiat instantiam. II. *Inter demonstrationem ostensivam & redargutivam*; illa est, quæ fit ex notioribus simpliciter, & primo principio non competit; hæc vero ex concessis ab Adversario minus quidem notis simpliciter, magis autem ipsi Adversario. Hinc *Arist. 4. Metaphys.* demonstrat primum principium ex eò, quia sequeretur duas opiniones contrarias simul in uno esse intellectu, quod ipso sensu absurdum deprehenditur, cum uno contrariorum in subjectum introducto, alterum statim expellatur. III. *Notandus est verus intellectus axiomatis illius topici*; propter quod unum quodque tale est, illud magis est tale. Valet enim illud non nisi de iis, in quibus prædicatum, in quo fit comparatio, verificatur, & formaliter convenit utrique comparatorum, quod hic locum habere non potest. Quando enim ita concludo aqua est calida propter ignem, Eg. ignis magis est calidus, vera est argumentatio, quia utrique inest calor; non autem, quando ita infero; paries est albus propter albedinem. Eg. albedo magis est alba, quia albedini non inest albedo, cum sit accidens, & progressus sequeretur in infinitum. Hoc Eg. modo prius argumentum primæ opinionis solutum manet. Posterioris solutio pendet ex distinctione prima, quæ dixi inductionem non ut causam per se, & demonstrationem facere ad principii primi cognitionem, sed tantum ut conditionem. 4. enim requiruntur ad principii primi cognitionem. 1. *Apprehensio terminorum.* 2. *Clara eorum perceptio* 3. *Conjunctio in forma propositionis* 4. *totius conjuncti approbatio*. *judicium quorum neutrum inductioni competit.* Subsequitur Eg. inductio ut conferens majorem promptitudinem intellectui, & confirmationem illius percepti principii.

### Probl. III.

An principiorum primorum notitia naturaliter sit insita.

Inter difficultates de principiis hæc ferè primaria est, & momenti maximi. Cum enim ab infinito, & natura & intellectus noster abhorreant, in cognitionis modo ad primum aliquod necessario deveniendum est, quod cognitionis omnis vocatur prin-

B

cipium,

cipium, quale illud fuit à me superius expositum. *Impossibile esse, idem simul esse & non esse*, & alia quædam. De horum cognitione sollicitè quærunt cum *Physici*, tum *Theologi*, sint ne illa ità actu naturaliter insita, ut potentiam omnem excludant, an veroabilitas tantùm & aptitudo intellectus detur, ad principiorum horum cognitionem actibus singularibus adipiscendam. In priori qui hærent sententià actu nimirum principiorum notitiam intellectui naturà inesse, hisce nituntur fundamentis. I. *Experientia ipsa firmissimâ in obscuris rebus demonstrandis principio*: Si infans vix natus statim uberibus se applicat, pullus testâ primum exclusus milvi volatum exhorrescit, sequitur actu principia nobis esse connata, quæ conservationem nostri injungant & præcipiant. At verum illud Eg. & hoc. II. *Ab Exemplo*: Qualis fuit ratio Adami post lapsum, eadem etiam est omnium hominum post eundem. At Adamus habuit post lapsum adhuc notitiam principiorum actualem secum: Contremuit enim audita voce Dei, seq̃ abscondere ab illius facie conatus est; innuens hoc suo facto notitiam de Deo, ejusque ob admilla delicta justitiâ vindicatricem. Eg. etiam adhuc homines principia habent cognata. III. *Ab Effectibus horum principiorum*. Si principia hæc, esse verum Deum Ethnicos reddiderunt inexcusabiles, eadem quod infuerint illis necesse est; quomodo enim ob absentiam hujus notitiæ potuerunt unquam damnari. At prius verum Rom. I. 20. Eg. & posterius IV. *Ab Autoritate S. Scripture ib. Cap. 2. ad Rom. 14.* Gentes siquidem, quæ legem non habent, sibi ipsis lex sunt, eò quod credunt opus legis scriptum in cordibus ipsorum. Si Eg. inscripta est illa lex s. notitia naturalis; quomodo non erit connata? V. *Ab Autoritate Aristotelis*. Qui idem demonstrat, quando principium notitiam vocat naturalem. Dicit enim 2. *Poster. ult.* dari in nobis vim, quandam insitam ad principia. Negativam sententiam Physicorum quidam non infimæ notæ amplectuntur, ut ex aliis *Zabar. in 2. Post. ult.*, actu nimirum principiorum cognitionem nobis non esse innatam, sed videri tantùm, acquisitam verò esse per inductionem à pueritia, etiam si tempus hujus inductionis non animadvertatur, idque confirmant I. *ab Absurdis*. Si principia actu sunt in intellectu, sequitur, intellectum semper ea actu intelligere; *Posita enim specie intelligibili, intellectus non potest non suam exercere*

rere operationem. At posterius est falsum, & experientia con-  
 trarium. in infantibus quippe nihil horum apprehenditur. Eg. &  
 prius. II. *Habitum esse non habitum.* Principiorum cognitio di-  
 citur ab Arist. habitus intelligentiæ *lib. 6. Eth. Cap. 6.* Atqui nul-  
 lus habitus est connatus, sed omnis crebris actionum exercitiis  
 comparatur, ut ex ejus definitione constat. Eg. nec principiorum  
 cognitio erit connata, aut sequitur, habitum esse non habitum.  
 III. *À Causa cognitionis prima.* Omnis cognitio dependet à sensi-  
 bus: Omnis siquidem cognitio intellectu procedit à sensiti-  
 va. *Javell. lib. 2. Metaphys. quest. 2.* Eg. & principiorum cognitio  
 ab iisdem originem trahit. Adde quod contradictionem senten-  
 tia contraria includat. Habere enim cognitionem principiorum  
 innatam actu, & tamen non cognoscere, est scire & non scire, quod  
 unius ejusdemque ratione in intellectu dari non potest. Pro vero  
 quæstionis intellectu dist. 1. *inter naturale acquisitum, & insitum*  
*de hoc, non de illo quæstio est, 2. inter inexistentiam potentia-*  
*lem s. aptitudinalem; & actualem;* hanc non illam indigitamus  
 3. *inter actum primum & secundum illorum principiorum nobis in-*  
*natorum;* de illo, non de hoc disquiritur, nec à negatione hujus  
 ad negationem illius V. C. 4. *inter cognitionem acquisitam & na-*  
*turalem s. connatam;* illa non hæc beneficio sensuum fit & subna-  
 scitur, 5. *Inter negationem & ignorantiam illorum principiorum;*  
 ab illâ ad hanc N. V. C. Ad primum Eg. argumentum. Resp. 1. Ne-  
 gando majorem, quæ confundit actum primum cum secundo; &  
 à negatione hujus ad illius negationem concludit, quod absolum.  
 Deinde quoque aliud est *actu inesse,* & aliud *in actum deduci;* pot-  
 est aliquid actu inesse, nec tamen in actum deduci; sic risibilitas  
 actu infuit Christo, cum verus fuerit homo, nec tamen unquam  
 ab illo in actum deducta legitur. 2. Negando etiam posterius: In  
 contrarium enim argumentamur. Qui sine notitiis acquisitis no-  
 runt, totum esse majus qualibet suâ parte, illi aliquod principium  
 primum secum natum habent. Atqui infantes & Eg. Major in se  
 est verissima: Minorem probat experientia, quando enim infantem  
 totum pomum, & dimidium pomi offero, integrum pomum di-  
 midio præfert, avidiusque arripit. Ad II. Resp. quod illud argu-  
 mentum nitatur falsa hypothese, adeoque petat principium. Pro-  
 betur enim omnem habitum esse acquisitum, & nullum connat-  
 um.



eum. Ad III. Repetenda est distinctio, inter *cognitionem acquisitam* & *inflatam*: illa incipit à sensibus, hæc minime. Quod verò subjicitur, contradictionem involvere, habere principiorum cognitionem innatam actu, & tamen non cognoscere; Ad id regeritur, quod diversus modus omnem tollat contradictionem; non dicitur, quod prima principia eodem modo actu insint, & eodem modo cognoscantur, sed potius diverso modo. Sic ratione sui actu insunt, ratione verò exercitii, non semper actu cognoscuntur. Interea quoque *distinguiamus inter ipsam actualem cognitionem, & actualis cognitionis manifestationem*; Concedimus infantem actualem primorum principiorum habere cognitionem, licet eadem non semper manifestetur.

#### Probl. IV.

An primorum principiorum difficultas cognitionis sit ex parte rerum, an verò ex parte nostri intellectus.

Obscuratum esse intellectum nostrum, nimis proli dolori deprehendimus, causam verò hujus erroris, intelligendique difficultatis non omnes deprehendimus. *Multi extra se causam hujus inquirere, cum Eva, Matre nostra primâ, fatigunt, existimantes, non intellectus, sed rerum ipsarum vitio difficultatem intelligendi fieri; Rationibus autem in hac opinione sua nituntur sequi. I. rerum instabilitate.* Ut se res habet in esse, ita etiam secundum veritatem s. intelligendi rationem inquit *Arist. 2. Metaphys.* Atque in esse res sese habent variabiliter, modò enim oriuntur, modò occidunt, modò in hoc, modò in illo sunt loco. Eg. ita quoque se habent in cognitione & ita causa difficultatis non intellectui, sed rebus ipsis adscribenda est. II. *Rerum excellentium naturâ.* Quæ immutabiliter se habent, non possunt præbere causam varietatis in intellectu, provenit enim illa à varietate rerum; At res divinæ & excellentes sunt immutabiles. Eg. ad quemcunque intellectum referuntur, habebunt se æqualiter, & ita ab omnibus intelligentur. Adde quod intellectus noster sit immaterialis, inque eo cum rebus divinis conformitatem alat. Eg. inter ea non erit difficilis assimilatio III. *A pari; ut se habet*

bet materia prima ad varias formas recipiendas, ita intellectus nos-  
ter ad rerum perceptionem; fit enim intellectus noster quodam-  
modo omnia, ut ait *Arist. lib. 3. de anima tit. 37.* sicut materia  
prima. Atque illa nulla haret causa difficultatis, recipiendi forma-  
rum multitudinem. Eg. nec in hoc erit causa difficilioris cognitio-  
nis, s. intellectiois, & ita manebit illa in rebus ipsis. *Alii in semet de-  
scendentes contrarium sentiunt, causam nimirum difficultatis in  
ipso hærere intellectu.* Nituntur autem I. *intellectus impropotione.*  
Omnis intellectio & cognitio fit per assimilationem, quæ præsup-  
ponit propotionem. At inter res divinas materiæ omnis expertes,  
& intellectû nostrû materiæ immersum nulla datur propotio. Eg.  
nec etiam assimilatio. II. *Entitate rerum.* Si difficultas intelligendi  
in rebus est, erit vel in iis, quæ Entitatis sunt summa, vel quæ Entita-  
tis infima. Non illud, quod enim summam habet Entitatem, sum-  
mam etiam obtinet intelligendi rationem, cum intellectus inse-  
quatur rerum Entitatem. Neque etiam hoc, quia æquè perfectè  
proportionaliter movet intellectum nostrum, sicut ignis parvus  
æquè perfectè comburit, parvum combustibile, ac magnus mag-  
num combustibile. III. *Sicuti ad visibilis rei decrementum necesse  
est visum augeri in majus, inque infinitum, asserente Arist. de sen-  
su & sensili; ita quoque ad intelligibilis diminutionem sentitatem  
minimam necesse est, potentiam cognitivam magis magisque  
fieri perfectiorem; quæ perfectio cum in intellectu nostro non de-  
tur, sequitur eum esse causam difficilioris cognitionis. Mediam  
& Regiam viam ingreditur Scal. E. 359. difficultas inquit cognitionis  
duabus potissimum de causis evenit, aut enim quia res, quæ de-  
agitur, excedit suam magnitudine. Sicuti Deus propter immensi-  
tatem luce sua obruit humani intellectus aciem; aut quia fugit exi-  
guitate sua, sicuti materia prima tota fugit mentis nostræ captum  
sua obscuritate atque humilitate. Illo Eg. respectu in intellectu, hoc  
vero in re ipsa haret difficultas.* Pro quæstionis intellectu notan-  
da est I. *intelligendi vario,* quæ fit per assimilationem, quam eru-  
ditè explicat *Scal. Exerc. 307. 6. & Taurell.* Cum enim intellectus,  
noster fieri debeat omnia, non quidem essentialiter aut formaliter  
sed subjectivè s. modo similitudinis & receptionis, necesse est inter  
se & rem intelligendam dari propotionem quandam. Quia Eg.  
*intellectus partim immaterialis in se scil. spectatus, partim verò*

*materialis* ad certa determinatus organa, consequens est, eas res optime ab intellectu concipi & cognosci, quæ & materiam includunt, & simul immaterialitate quâdam constant, quales sunt res mediæ Entitatis: s. quod idem est, quæ partim actum, partim potentiam includunt. Deus verò, quia purus putus actus est, in quo nihil in potentia, immensitate sua excedit captum humanum. Materia verò prima, quia potentia, humilitate suâ fugit aciem intellectus; illa quidem incognoscibilis non sui, sed intellectus nostri ratione, hæc verò obscuritate propria. Hinc Eg. patet, quo respectu utriusque opinionis argumenta concedi possint. *Si vero* prior sententia rebus in solidum difficultatem refert acceptam; Ad 1. eij argumentum breviter dicendum est, illud tantum de *existentia* non de *essentia* rerum concludere. 2. Particulare esse de rebus scilicet tantum divinis, quarum rationem jam dixi esse talem, quod in se quidem sint intelligibiles, non verò intelligantur à nobis, quia intellectus noster est improportionatus. In tertio verò est dissimilitudo. Materia siquidem nuda est potentia; intellectus verò noster actus, & quidem formalis, forma nimirum nostra substantialis. *Vid. Scal. loc. proxime dicto.* Posterior verò sententia, quæ res omnino excludere conatur, in primo argumento peccatur rursus particularitate: Improportio siquidem inter intellectum nostrum & res materiales, præcipue autem materiam primam ex eij nascitur imperfectione. Ad secundum respondet Javell. *lib. 2. Metaphys. quest. 2.* Cognoscibilitatem non sequi rei Entitatem ut Entitatem, sed ut est actu & ordinabilis ad actum; ideò in probationibus dissimilitudo est exemplorum. In parvo enim combustibili datur dispositio ad combustionem, non autem æquè in materia prima. Deinde visus potest debilitari & confortari organorum ratione, non item intellectus, qui inorganicus est, in se & absolute spectatus.

Sect. II.

De

## PRIMIS PRINCIPIIS. INCOMPLEXIS.

Institutæ supra divisionis particula prima, quæ principia  
concer-

concernebat complexa, sectione proxima expedita, succedit altera,  
*incomplexa s. essendi principia attinens.*

## Subsectio I. dogmatica.

### Articul. I.

De

## PRINCIPIORUM ESSENDI DEFINITIONE.

*Essendi principia aliis incomplexa strictè sic dicta, ab Arist. verò principia substantia vocantur, sunt ea, quæ ad rei constitutionem vel productionem concurrunt. Distinguantur enim non in hoc à principiis cognoscendi, quod non etiam aliquando cognitionis principia esse possint, sed in eo, quod, quando cognitionis principia existunt, simul ad rei productionem & constitutionem faciant. Sunt autem hæc principia non propositiones, ut superiora, sed res ipse, uti ex officio eorum deprehendere licet. Productio verò rei itemque constitutio non possunt nisi à re fieri: Horum principiorum proprium est, teste Zabarell. lib. de constit. scient. natur. cap. 390. ut si lateant, demonstrantur à posteriori per suos effectus. Sicuti v. g. materia prima in Physicis ex mutatione substantiali demonstratur. Quia autem horum natura ex subsequenibus manifestior & clarior reddetur, transimus ad subdivisionem horum principiorum.*

### Articul. II.

De

## PRINCIPIORUM ESSENDI DIVISIONE.

§. 1. Duplex omnium entium creatorum sc. spectari potest status; unus *Essentia*, quò in partibus suis essentialibus illa considerantur, alter *existentia* quò partes illæ essentialis determinantur, & restringuntur ad actum suum ultimum.

§. Primi

§. 2. Primi generis sunt *actus & potentia*, generalia Entium creatorum præprimis principia constituentia; hic enim illud *Scal. Exercit. 359. 12. valet omnia quaecunque sub Deo sunt, esse composita, etiam materiam primam ex actu scil. & potentia. Et necessariò quidem duo illa dari, hinc est conspicuum, quia infinita principia nullo modo dari possunt, aliàs enim ipsæ res quoque erunt infinitæ. Erunt Eg. principia finita. Et vel unum vel plura. Non unum ex illo enim nihil fit, cum uniformiter se habeat. Eg. plura: Et sic vel duo, vel tria, vel alia multa. Non tria vel plura, quia duo sufficiunt; quod hinc patet: Omnia Entia præter Deum, sunt ab alio. Eg. potentiam fieri s. productionis habent passivam, & ita potentia unius principii obtinet rationem. Quia verò Deus ut Ens optimum, omnibus sese communicat, & ita bonitatem suam in creatas res effundit, tribuit illis hac ratione aliquam conservandi vim, quæ activi principii in rebus locum habet, & dicitur actus. Necessariò Eg. duo hæc principia constitutionis rerum dantur, non plura, nec pauciora.*

§. 3. Hinc ulterius quæritur *an omnia Entia his principiiis consent, tam summa, quam media & infima?* Ubi simpliciter & categoricè respondeat *Physici*; omnia nimirum Entia, tam summa, ut Angeli & homines, quàm media, ut anima & res aliæ perfectæ, & infima, ut est materia prima ex actu & potentia esse composita & constituta. Et angelos quidem & animas hominum quod spectat, illa, quod ex principiiis hisce duobus consent. prob. *Scal. Exercit. 359. 2. his verbis: Intelligentia inquit, tamen si non est composita ex materia & forma, constat tamen ex aliquo tanquàm potentia. & aliquo tanquàm ex actu; potentiam illam dicimus ejus esse, actum verò ejus essentiam. Essentia ejus est, quæ est id, quod est; Esse autem ejus est receptivitas essentia. Idem judicium est de anima hominis. In rebus verò materiatis s. mediis hæc principia ita deprehenduntur. Materia est principium passivum indifferens, & habilis ad omnes formas recipiendas, Eg. potentiale erit principium. Ejus potentia ut expleatur, opus erit formæ, principio scil. activo s. actu, qui terminat & perficit potentiam, ut ex duobus hisce essentialibus principiiis rerum corporearum essentia constet. De tertio Entis genere infimo scil. s. materia prima res est intricatior, nihilo tamen minus hæc quoque ex esse*

ex esse & essentia sua est constituta, s. potentia & actu. Essentia ejus est id quod habet proportionem differentiae formalis, nimirum ejus substantia, quae alias actus entitativus à Physicis dicitur, per quem materia est materia & non forma. Esse vero obscurum admodum est. Et quamvis ob sui exilitatem concipi non possit, analogiam tamen habet cum genere in Entibus naturalibus. *Vid. Scal. Exerc. 17. § 359. 12.* Idem judicium esto de accidentibus. Constant enim haec quoque partibus Entis generalissimis, potentia & actu; illius rationem sustinet habitudo ad subjectum, extra quod subsistere nequeunt, hujus verò ipsa accidentium forma, quae cum accidens est, tum à substantia distinguitur. Ut ita in universum concludere liceat: Omne Ens sub Deo suam involvere compositionem, nec praeter hanc simplex simpliciter dari posse. Et haec de principiis essentiae in genere.

§. 4. *Existentiam Entis s. operationes illius varias quod attingit, nanciscuntur & haec principia sua, quae licet à principiis essentiae re non distinguantur (forma siquidem dat esse & operari; qui enim formam dat, dat etiam ea, quae consequuntur formam. Scal. Exercit. 7.) rationes tamen praeter illas obtinent aliam Sicuti enim in Physicis aliud est considerare corporis Physici essentialia constitutiva, materiam scilicet & formam; aliud considerare principia operativa variarum operationum in corpore, qualis est natura; ita alia hic est consideratio principiorum essentiae, quae haecenus dicta sunt actus & potentia; alia verò principiorum existentiae s. operationum, quibus tum res constituta operari dicitur, tum haec operationes demonstrantur. Est enim essentia cujuslibet Entis creati principium, & origo omnium prima, à qua derivantur, & perquam demonstrantur omnia ejus effecta, operationes, & affectiones. Quaerenti enim cur angelus spiritualis sit substantia, Essentiae ratio reponitur; Cur corpus naturale sit quantum & locale, unius essentiae beneficio satisfieri manifestum est. Et haec quoque de principio existentiae sint dicta.*

## Subsectio II. Usualis,

§. 1. *Ulus hujus doctrinae in disciplinis omnibus generalis est hic, ut cujus cunque scientiae subjectum sive necessarium, sive contingens, sive substantia, sive accidens illud fuerit, sciamus, suis*

C

ex prin-

ex principiis esse conflatum, & omnium, quæ in illa scientia traduntur, fundamentum & principium esse, quo ignorato, de scientia ipsa vix aliquid cognoscere datur.

S. 2. *In specie Theologicus usus est* hic, ut Creatorem à creatura, principium à principiato, Ens independens à dependente distinguere queamus. Illud principiis carens omnibus, simplicissimum, immutabile, æternumque est. Hoc verò principiis suis constitutum, mutabilitatem sapit, illiusque nutu quodocunque libuerit, resolvi & destrui potest. Omne siquidem dependens ab eo, à quo dependet, mutari potest, ut inquit *Scal. Exercit. 307. 20.*

S. 3. *Physicus usus specialis hic est*, ut cognitæ, entium in actus potentiaque ut principiorum communium participatione, diversitate, rectius de scientiarum præstantia & dignitate statuere possimus. Quia enim objectum scientiarum nobilitatem variat, illæ dignitate erunt primæ, quæ objectum nobilius, seu quod idem est, actus plus, potentia minus includens tractant; illæ verò nobilitate minores, quæ objectum de actu parùm, plus vero de potentia obtinens, tractant, quales sunt mathematicæ in accidentium, quorum Entitas minima, enodatione occupatæ. Adde quod ad demonstrationis naturam cognoscendam non parùm faciat hæc doctrina; Essentia siquidem rei, ut operationum rei principium primum in demonstratione primas quoque obtinet ut in Logica pluribus declaratur. Substantia demum & accidentium discrimen hinc innotescit. Illa licet ex actu & potentia sit constituta, non tamen in alio potentiam suam obtinet, extra quod non potest subsistere, sicut hæc quorum esse dicit *Scal. esse inesse f. inhæ- rere Exercit. 10.*

### Subsectio III. Problematica.

#### Probl. I.

An sola potentia ullius Entis possit esse principium.

Negativa per omnes Entis gradus ex superioribus constat. Eam tamen infirmare videntur duo potissimum. I. *Deus T. O. M.* cujus celebratur potentia infinita, quæ cum essentia æquipollent cumq;

cumque ea concidat, sequitur essentiam Dei potentiâ solâ consti-  
stitui. II. *Materia prima* quam puram putam potentiam etiam  
multa videntur convincere. 1. *Officium ejus proprium*: quicquid  
actus receptioni est destinatum, non potest actu proprio esse præ-  
ditum. Atque materia prima actus receptioni s. formæ est desti-  
nata, ab illa siquidem actuatur & perficitur. Eg. & per Conseq-  
nendâ constat potentiâ 2. *Ab absurdo*. Si materia esset actu prædi-  
ta, sequeretur primò, actum esse in actu quando materia recipit  
formam, & ita ex duobus actibus Ens componi, quod negat *Scal.*  
*Exercit. 106. 6. 2dò daretur progressus in infinitum*. Actus enim ille  
vel esset simplex, & sic materia participaret essentiam Dei, qui a-  
ctus est simplicissimus, vel compositus, & ita ex alio actu & poten-  
tia constitutus, de quo postea idem quæreretur, & quæstionis nullus  
futurus esset finis. Hæc tamen duo assertam hæcenus veritatem  
nondum evertunt. Repetenda enim hic est primò Entis analogia,  
quæ non patitur omnibus æquè Entibus principia Entis attribui,  
2dò *diff. inter considerationē rei absolutam & respectivam*. *Absolute*  
*spectata* materia actum omninò habet, cum sit in Entium genere,  
quorum nulli actus denegari possunt; *respectivè* verò, & in habi-  
tudine ad corpus naturale, rectissimè dicunt, materiam esse non-  
potentiam propriè, sed Ens potentiale, substantiam quandâ imper-  
fectâ, incompletam secundum speciè & inchoamentum omnium  
specierum, quæ potentiæ omnis fons s. radix est. Coincidit ferè  
cum hæc distinctione *Zab. lib. 2. de materia pr. C. 4. Inter Enti-  
tatem pro existentia, & pro essentia sumptam*. Quando Entitas  
pro essentia sumitur, tunc habet materia Entitatem propriam,  
distinctam ab Entitate formæ, quæ ut *Scal.* loquitur materia est, &  
non forma. Quando verò Entitas pro existentia usurpatur, nec  
forma, nec materia Entitatem habet, sed solum compositum, cu-  
jus proprium est existere. 3tio *distinguiamus inter actum & Ens actu*.  
Illa enim duo non æquipollent. Materia quidem est Ens actu pro-  
ductum scil. extra causas suas creatione primâ; non verò est actus s.  
Ens perfectionem largiens & communicans, quale est forma. Ad  
primum argumentum *Resp. in eo confundi potentiam essendi cum  
potentia operandi*. Non enim potentia principii constitutivi ra-  
tionem in Deo obtinet, sed operativi, idque non sui, sed creatu-  
rarum respectu, ideo Dei cum creaturis, ut & in aliis multis di-



versa est ratio. Ad posteriora de materia prima Resp.; & primo quidem respectu, *concessione*. De respectiva enim materiae consideratione illud valet, non vero de absoluta, ut in decisione explicatum: 2do in absurdo *i. Confunditur actus rei cum ente actu*. Ex duobus actibus inquit Scal. ib. loc. non posse unum Ens per se fieri; Ex duobus vero entibus actu omnino posse, ita ut alterum potentia, alterum actus rationem obtineat. In 2do absurdo *conceditur quidem, illum actum s. illud, quod in materia est loco actus, esse simplex, Consequentia autem negatur statim illum actum cum actu Dei simplicissimo, simulque perfectissimo & summo coincidere*. Est enim hic actus ultimo omnium, in quo terminatur cum constitutio, tum cognitio rerum, qui ut Scal. Exercit. 107 32. loquitur, per analogiam tantum veri & proprie vocati actus concipitur.

### Probl. II.

#### An potentia prior sit actu.

De ordine horum principiorum multum controvertitur. Sunt qui potentiam vel actui coeavam, vel simpliciter priorem statuunt, ob rationes sequentes. 1. *à genere predicamentali*: Omnia relata simul sunt, potentia & actus sunt relata, Eg. 2. *à Cognitione*, quæ prioritatem habent in cognitione, prioritatem quoque habent in essentia, ut enim res cognoscuntur ita omnino sunt. Atqui potentia prius cognoscitur actu. Deus enim v. g. qui actus est purissimus & simplicissimus, omnium ultimo à nobis cognoscitur. Eg. 3. *à generatione rerum*: Qualis generationis est ratio, talis quoque essentia, quæ generationis est finis & effectus. Atque in generatione potentia semper est prior, præcedit enim actum, qui ejus complementum & perfectio est. Eg. 4. *à successione*: Succedens posterius est eo, cui succedit, Atque actus succedit potentia. Eg. Accuratiùs tamen qui philosophantur, sententiam hanc simpliciter acceptam putant esse falsissimam, quippe quam sequeretur 1. *rerum omnium cum Deo coæternitas*. Quod si enim potentia & actus simul sunt: omnes creaturæ ab æterno erunt; quippe quæ ab æterno habuerint potentiam essendi s. potentiales fuerint. 2. *Dei productio & certum initium*, quem nimirum præcederet potentia eo prior, quod tam impium quàm absurdum. 3. *Non Entis præ-*

*præstantior ratio quàm entis*, potentia enim quæ suo modo non-  
 ens est ( quicquid enim nondum constituit torum, ratione istius  
 non est ) causa esset ipsius actus, & ita actu præstantior. Quæ  
 omnia licet videantur absurda, nihilominus tamen potentia actum  
 & è contra actus potentiam antecedere deprehenditur. Verùm dis-  
 tinctione res est expedienda, ut cum subjectum tum prædicatum  
 rectè evolvatur, Subjectum scil. potentiam hanc dicimus esse du-  
 plicem, l. *essendi*, l. *operandi*; hæc rursus l. *à natura est indita*,  
 ut potentia sentiendi & intelligendi, l. *adsuetudine aut doctrinæ*  
*est acquisita*, ut habitus virtutum & scientiarum. Posterior hæc  
 vicissim duplex est, l. enim *uno actu perfectò acquiritur. tam quoad*  
*essentiam quàm quoad modum habitus, l. imperfectè ad essentiam*  
*nimirum tantum, non autem statim quoad modum habitus.* Prio-  
 ritas verò quia multiplex est, l. *natura*, l. *cognitionis*, l. *temporis*,  
 l. *dignitatis*, l. *ordinis*, non una responsione diversitas hæc expedi-  
 ri potest. Duabus Eg. conclusionibus tota res redditur plana I.  
 actus est prior potentia *essendi cognitione*, & *dignitate*; potentiis  
 itidem operandi, quæ multis actibus acquiruntur perfectè, *prior*  
*tempore.* Probantur hæc sigillatim; *Cognitione prior est*, si non-  
 quoad rem, tamen quoad nos, quia ratione actus potentia secun-  
 dum nos intelligitur, ità ut actus fundamenti quidem locum ob-  
 tineat, imò circa actum magis veritas & falsitas consistit, utpote  
 quod divisionem & compositionem facit intellectus. Jàm autem  
 quò aliquid ut fundamento in cognitione nititur, circa quod etiam  
 veritas & falsitas consistit, illud cognitione est prius. *Dignitate*  
*prior est*, quia actus complementum dat potentiæ, & ad certum  
 Ens determinat. *Potentiis denique operandi*, quæ multis actibus  
 indigent, & ità actus tempore præcedit. II. Potentia prior est  
*actu tempore*, idque unius subjecti ratione, quia omnes res creatæ  
 prius poterant esse quam erant. Prior est *à naturâ* cum omnem  
 actum impurum necessariò antecedit potentia & essendi & ope-  
 randi. *Quoad potentias operandi infra* prior est, quia potentiæ  
 hæ non generantur nostris actibus sed eas prius à naturâ ac-  
 cipimus, antequam actus eorum exerceamus; v. g. Potentia  
 ad videndum prior est in oculo, quàm visus. *Quoad acquisi-*  
*tas deniq; perfectè uno actu*; sunt enim potentiæ s. habitus in  
 instanti eodem, perfectè, acquisiti, in quo actus efficitur, ut est

Scientiarum habitus, licet naturâ actus sit prior. *vid. Javel.*  
*lib. 9. Metaph. quest. 12. 13. 14.* Argumenta quæ superius allata  
facile hinc solvi possunt; Et ad I. quidem disting: ( $\alpha$ ) inter relatio-  
nem *secundum esse & secundum dici*: Relata sunt simul, nempe  
quæ sunt secundum esse, non quæ sunt secundum dici. ( $\beta$ ) dist.  
inter relata *secundum se vel naturam suam & juxta terminos*  
*considerata*; hoc non illo modo sunt simul. Aliàs quod II. ex po-  
sterioribus argumentis, concernit, in illo committitur ignoratio  
Elenchi, siquidem hic primò de potentia essendi, quæ in Deum  
haud cadit, agamus. Ad III. Resp. Confundi potentiam *absolutè*  
*spectatam*, cum potentia *respectivè* ad totum considerata. Hoc  
non illo respectu est Non-Eus uti superius etiam fuit adductum.  
IV. Denique de actu & potentia operandi specialiter consideratis,  
& ad unum restrictis subiectum procedit. Hæc enim ratione actus  
potentiam in habitibus acquisitis excipit.

*Probl. III.*

An actus & potentia ad eandem reducantur  
categoriam,

Cum principia hæc rerum sint incompleta, dubium est  
nullum, ad classem certam per se eâ referri non posse, cum sola com-  
pleta & perfecta Entia locum in prædicamentis sibi vendicent, ut  
probat *Regius probl. de prædicam*: Actum quidem reduci ad il-  
lud prædicamentum, in quo totum est compositum, nullum est  
dubium. De potentia verò res maximè dubia est. *Zabarella*  
verò acutissimus aliàs *Physicus lib. 1. de mat: prim. cap. 9.* existi-  
mat, omnem potentiam in secunda esse specie qualitatis, ductus  
forsan definitione qualitatis, per quam scil. substantia est efficax,  
quæque illam aptam, & idoneam reddit ad agendum. Contra  
tamen sentiunt omnes ferè *Physici*, inprimis *Aristoteles*, qui ma-  
teriam, quæ aliàs potentia nomine indigitatur, substantiam  
vocat, & esse probat *lib. 8. Metaphys. 3.* Notandum verò hoc loco  
illud est, potentiam dupliciter accipi, l. *prædicamentaliter* l. *tran-*  
*scendentaliter*. Illo respectu *Zabellæ* sententia procedit, quæ  
tamen acceptio nondum est concessa; altera enim *transcenden-*  
*talis* scil. potentiam spectat ut actui opponitur, & per eam & actum  
omne Ens creatum dividitur. Hæc ratione negari nequit, illam ad  
prædi-

prædicamentum substantiæ vel potius diverso respectu ad omnia  
 posse referri prædicamenta. Cognata huic est quæstio illa: An  
 nimirum *actus & potentia vera sint relata*? Quam multi affirmatio-  
 ne putant esse expediendam, cum per se mutuò definiantur, & al-  
 terum absque altero intelligi nequeat. Negationi tamen favet  
*Zab. loc. cit.* & alii Physici; Eò quod potentiâ positâ, non necessariò  
 ponatur actus, aut actu posito ponatur potentia, sed potiùs, potentia  
 posita, auferatur actus, & contra. Cum Eg. relatorum natura sit  
 simul naturâ esse, mutuòque sese ponere & tollere; idque in po-  
 tentia & actu non deprehendatur, luce clarius est, ea verè relata-  
 dici non posse. Quòd verò ex definiendi ratione effertur, ad id  
*R. Iavell. lib. 9. Metaphys. quest. 12.* Distinguendum esse, inter  
*definitionem & aliqualem manifestationem.* Quando actus per  
 potentiam describitur non est vera definitio; sed aliqualis manife-  
 statio per inductionem vel proportionem sicut *Arist. Top. 9.* expli-  
 cat. Et licet hæc descriptiones sint usitatæ ac frequentes, de illis ta-  
 men iudicium *Fons. 7. Metaphys. 15. consl. 4 5. 7.* notandum est, E-  
 os actus tantùm per potentiam definiiri, qui dependentiam aliqua-  
 lem vel *in essendo* vel *informando* à potentia habent, qualis non  
 est hîc. Si verò ulterius quæratur, cum sint opposita hæc duo,  
 ad quod oppositionis genus sint referenda? *R. Zab. privativè*  
 opponi. Potentia siquidem semper connexam habet privationem  
 actus, quâ ipsi actui opponatur. Atque hæc hactenus de prin-  
 cipiorum primorum tam complexorum quàm in-  
 complexorum ratione sufficiant.

## COROLLARIA.


1. **C**ontra negantem principia est disputandum.
2. Datur primum & ultimum tam in essendo, quàm in cognoscendo.
3. Principia essendi sunt etiam principia cognoscendi.
4. Datur principium infinitum.
5. In principis non datur progressus in infinitum.
6. Principia prima sunt indemonstrabilia.
7. Principium primum creaturarum omnium rò nihil est.

DEO SOLI GLORIA.


**P** Rincipium rerum quid sit? cognoscere multum!  
Sic natura rei, quæ condita, panditur, atq;  
Ingens exsurgit citius sapientia rerum.  
Idcirco cum de primis, IDLERE colende,  
Principiis scitè disquisis, mente sagaci,  
Incipis abstrusas rerum cognoscere causas,  
Præclaramq; tuam maturè prodere mentem.  
Invigila Sophiæ studiis, & præmia multa:  
Laudes atque decus referes, ac fama, per orbem  
Sese diffundens, celebris mox surget ad astra.

*Ita præclaris Pereximii DN. RESPONDENTIS, Amici  
sui perdilecti, ausibus, egregioque eruditionis  
optime specimini ex animo applaudit, & felicissi-  
ma quæque ominatur*

PRÆSES.

  
**P** Rincipio de principio tibi dicere mens est.  
Fortunet finem, qui sine princio.

f.  
Franciscus Wolfius, Log. P. P.  
& p. t. Decanus.

  
**P** Rincipiis primis insistere, quæ toleranda,  
Atque ex adverso quæ rejicienda tenentur,  
Disserere & simulac defendere, poscit amantem,  
Ac doctum Juvenem; quæ sunt *Metaphysica* profert,  
Pulpita doctorum conscendens, noster Amicus,  
IDELER, in studiis quid sit vigilâsse probabit;  
Fortiter in cœptis maneat; fortunet JOVA!

*Ita applaud. domestico & Commensali  
suo jucundissimo*


M. Michael Wagnerus, Eccles. Jacobæus.

Est

**E**st aurum pulchrum, quò nil preciosius exstat,  
Et sunt in viridi, gramina pulchra, solo;  
Pulchrior ast longè est Virtus sudore parata,  
Quæ non Marte perit, sed Tibi fixa manet.  
Hæc, decorate diu, prudens, IDLERE, Cathedram  
Insigniscandis non sine laude, Fave!

*Paucissimis hisce, laudabiles, Doctissimi Dn: Respondentis  
Affinis dulcissimi conatus collaudabat*

**M. Johannes Ernestus Helwigius,**  
Scholæ Rost. Con-Rector.

  
**I**ngenuo IDLERUS laudum succensus amore,  
Palladii tentat nobile Martis opus.  
Est satis, umbrosis, inquit, vixisse tenebris,  
Et tacitè sacras consuluisse Deas.  
Ignea vis animi, & spirans magis ardua, Virtus  
Obscurâ nescit subruta nocte premi.  
Svasit amor, Sophiæ primos defendere fines  
Et dare barbariem sub juga nostra feram.  
Me petite innocuis, Heliconis membra, sagittis,  
Nunc gravis alterno fulminet ore tonus.  
Ter sunt obducti circum mihi pectora nervi,  
Roborat & firmas vis chalyæa manus.  
Dixit: & oppositis inimica ad prælia castris,  
Vi pro principis armaque voce capit.  
Primævos de principio Tibi gratulor ausus:  
Omne res fausto non, mihi crede, caret.

Primam.

Primam principium segetem Tibi præstat honorum,  
Finis Virtutum quid nisi mellis erit?  
Fortiter ad primos miles contende triumphos,  
Gloriaq; inceptum prima coronet opus.

*Quod ex animi sententiâ ominatus, adscribere vol.*

M. Lucas Schröder / Gustrov:



**H**Aud benè Musarum castris sudasse videntur,  
Qui non conjungunt prælia grata <sup>λέγῃς</sup>,

Rectius in campo certantùm eximius ardor

IDELERI monstrat, quâ ratione via

Ardua virtutis, qui culmina scandere tenter,

Parnassique vepres sint superanda graves

Præcellenti proponens PRÆSTANTIA prima

Palmâ præfixâ PRÆSIDE principia.

Hæc tibi sint magni decoris primonia prima,

Hæc patrio dulci sint oriunda solo.

Pectore, quæ possum, ferventi fundere vota

Addo, cæpta Deus prosperitate beer!

*Hisce pauculis per dilecto ac amicorum sua-  
vissimo de egregio eruditionis specimine  
edito gratulari voluit, debuit*

Augustus Friderich Boltzius,  
S. S. Theol. St.










**E**st aurum pulchrum, quò nil  
Et sunt in viridi, gramina  
Pulchrior ast longè est Virtus sud  
Quæ non Marte perit, sed  
Hâc, decorate diu, prudens, IDL  
Insigni scandis non sine laud

*Paucissimis bisce, laudabiles, I  
Affinis dulcissimi*

**M. Johannes Ern**  
Scholæ R



**I**ngenuo IDLERUS laudum succ  
Palladii tentat nobile Martis o  
Est satis, umbrosis, inquit, vixisse  
Et tacitè sacras consuluisse D  
Ignea vis animi, & spirans magis a  
Obscurâ nescit lubruta nocte  
Svasit amor, Sophiæ primos defen  
Et dare barbariem sub juga n  
Me petite innocuis, Heliconis mem  
Nunc gravis alterno fulmine  
Ter sunt obducti circum mihi pe  
Roborat & firmas vis chalyæ  
Dixit: & oppositis inimica ad præh  
Vi pro principis armaque voe  
Primævos de principio Tibi gratulo  
Omne res fausto non, mihi ex



exstat,  
olo;  
,  
aner.  
thedram  
!  
respondentis  
dabat  
Iwigius,  
ector.  
ore,